

cedant, tum ad honorem tanti sacramenti; tum ut famem quamdam spiritualem ad eam afferendam esse intelligant. Unde S. Augustinus in epist. ad Jan. ait: « Placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti sacramenti, os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. » Quæ res tanti in Ecclesia semper æstimata fuit, ut S. Chrysostomus, epist. ad Cyriacum episcopum exulem, et ipse exul scribat: « Multa quidem adversus me confixerunt et dixerunt, quod ad communionem non jejunos receperim. Et si quidem hoc feci, expurgetur nomen meum ex albo episcoporum, et non scribatur in libro orthodoxæ fidei: quoniam si tale aliquid admisi, abiciat me etiam Christus e regno suo. » Quod si alii episcopi propter hoc confictum peccatum putarent eum ex illo dignum, cur non et eos, qui non jejuni accessissent? Quapropter non jejuni tantum, sed et magno appetitu ad hoc animæ pabulum tam salutare accedamus, juxta illud Domini, Joan. VI. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis daturus est vobis*, utique eucharistiam. Quo appetitu comedissemus in paradiso lignum vitæ contra mortem? At plusquam lignum vitæ habemus in eucharistia, quia fontem vitæ æternæ.

II. Forte inveniuntur aliqui modicæ fidei, adeoque sensuales, omnia sensibus metientes, et quia sensibus non deprehendunt Christum in eucharistia præsentem, parum firmiter credentes. Ponamus hos ad aures asini. Eas sane prælongas accepit natura ad suam defensionem. Etenim corvus asino infestus pugnat contra eum et morsu impetit oculos ejus, secundum Aristot. et Avicem. apud Geminian. l. IV. de rer. similit. c. LXI. sed asinum juvat profunditas oculorum, et longitudo aurium, quibus se defendit. Quare si tibi stygius corvus oculos impugnat, quod non videas Christum in eucharistia præsentem, tu objice ei aures, quibus præcepisti fide divina, quæ fallere non potest, Christum ibi adesse. Si dicat rationem hoc non posse capere, dic tu credendum esse, quod ratio non comprehendit. Sane Abraham quando post acceptam Dei promissionem de posteritate ex filio suo Isaac oritura, audiit mandatum Dei, ut immolaret Isaacum, Gen. XXII. graviter tentatus est a Deo circa fidem, sed Abraham defendit se cum auribus, credens nihilominus etiam mactatum filium a Deo suscitandum, vel aliter servandum; quia audierat a Deo promissam sibi ex Isaac posterorum sobolem innumerabilem. Unde ait famulis: *Expectate hic cum asino: ego et puer illuc usque properantes postquam adoraverimus revertemur ad vos*. Vide hic cæcam sed excelsam Abrahæ

fidem. Igitur et nos cum pergimus ad s. communionem, ducamus nobiscum asinum istum, profundis quidem et lippis oculis, longis tamen auribus præditum, cæcutientem sed bene auritum. Hinc ante communionem prius canitur in Missa: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Hinc in orientali Ecclesia communicaturi recitabant prius symbolum fidei. Quem morem etiam in Hispaniam introduci petiit in Conc. Toletano Reccaredus rex, apud Baron. anno 589.

III. Forsan aliqui, adhuc odium et inimicitias atque iras in pectore coquunt. Hos imponamus in collum asini. Constat enim asinum mansuetissime incedere, non erecto collo, sed humili et depresso. Sunt etiam asini (asinæ præsertim, qualem elegit Dominus) inter se pacifici, non se invicem invadunt aut cædunt, ut feroces equi: sunt patientes verberum magis quam alia bruta. Ergo qui ad s. mensam venire volunt, cum asini mansuetudine veniant, iras, contentiones, inimicitias deponant. Est enim ibi sacramentum unionis, ideoque communio dicta, in qua unum et eundem numero cibum omnes sumimus, et in eo unum efficiamur e multis fidelibus, sicut unus panis fit e multis granis, ut apostolus, I. Cor. X. docet. Hinc in sacra missa ministri altaris ante communionem osculum pacis sibi mutuo porrigunt: quod olim in primitiva Ecclesia Christiani omnes faciebant in signum reconciliationis. Ideo Christus hodie intravit Jerusalem mansuetus in mitissimo animali, asina videlicet, juxta Zachariæ prædictionem: *Dicite filiæ Sion, rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam et pullum*. Expectabant Judæi Messiam bellatorem, armatum cum ingenti exercitu, omnibus terribilem. At contrario modo venit Dominus, quia mites et mansuetos querit; ideo hoc nuntiari filiæ Sion, seu fidelibus jubet, ut eandem induti mansuetudinem ad mensam Domini veniant quo modo regem suum imitantur aulici in vestibus et moribus. At cur non quibuscumque, sed filiæ Sion id nuntiari jubet? Num quia de filiabus Sion ait Isaias, c. III. *Elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo*? An qui sæpe nobilissimi quique, qui cæteris plus sapere debent, maximas inimicitias gerunt? An quia feminæ maxime implacabilia odia gerunt? Vobis hoc judicium relinquo.

IV. Forsan aliqui inflati sunt, et altos gerunt spiritus, nec libenter se humiliant, publice præsertim in templo, et cum ad sanctam mensam accedendum, difficulter flectunt genua. Ponantur hi ad genua asini. Et cur? Ipse enim ut supra jam vidimus, novit flectere genua coram s. eucharistia. Accedit exemplum alterum quod

anno 1537. in agri Tarvisini pago Salzano, contigit in grege asinorum, qui sanctam eucharistiam ad ægroti domum simul comitati, uti alibi diximus. Nonne hic exclamabimus cum Isaias, cap. I. *Cognovit hos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit*.

V. Forte erunt aliqui debiles et inconstantes, qui satis bene quidem parati, accedunt, sed postea statim in priores infirmitates relabuntur, nec tentationibus resistunt, quasi nihil virium, nihil roboris in sancta mensa accepissent. Hos ponamus ad asini calces. Asini enim licet aliquin mites, pugnant tamen calcibus, et acriter quidem contra lupos: hostes suos capitales, et quidem calcibus atque averso vultu, ut Aldrovandus scribit. Exemplum refertur in vita S. Solæ abbatis, non procul Eystadio in monasterio, quod adhuc extat nomine ab ipso tracto, Solenhoven degentis sub Carolo Magno circa annum Dom. 760. Hinc, ut scribit Ermenoldus diaconus et monachus in ejus vita, dum iter ageret cum asello suo in pascua, devenit, ubi grex ovium pascibat desertus forte a pastoribus. Quo propius accedente asellus offensis pedibus aures arrigere, et cauda elevata declivis per avia cucurrit. Territus abbas repente desiliit et cruce se signat, et ecce lupum videt ovibus insidiantem. Tum asino in nomine Domini præcepit, ut lupum insectetur atque invadat. Paret mox asellus jam intrepidus; qui prius vel aspectu lupi territus fugerat: et converso cursu invadit lupum, miro duello diu oblectantem conficit calcibus, accurrentibus interim id spectantibus pastoribus. Tales utinam asini essemus omnes in tentationibus, cum lupus ille stygius insidiat nobis, aut proximis nostris. Sane Chrysostomus, hom. LXI. ad populum Antiochenum, ait: *Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, etc.* Tales asinos, imo tales leones describit, et ex India occidentali, provincia Paraquariæ, ad nos scribit Nicolaus Duram, S. I. Paraquariæ præpositus provincialis, in lit. annis, anni 1626. et 1627. Antuerpiæ impressis anno 1636. in reduct. Lauret. in hæc verba: « Inda quædam, quæ sacramenta frequentare consueverat, ab Indo flagitium provocata, ubi ei in mentem venit se communionis schedulam penes se gestare, incredibili ei constantia resistit: adeo ut cum aliter non posset evadere, casti etiam Josephi virtutem superarit; nam toga rupta impudici manibus relicta, nuda omnino ab eo profugit. altera item in simili casu, in sibi blandientem acerrime invecta, multa in eum congerere cæ-

II. PARS HIEMALIS.

pit, atque inter cætera ei dixit, signum esse infallibile, quod divini verbi prædicationi haud interesse soleret, quandoquidem tam fœdæ cogitationes mentem ejus subirent. Sed longe se alio modo alia gessit: hæc castum Indum verborum lenociniis ac precibus multo tempore de casto suo proposito deturbare conata fuerat. Is tandem importunis ejus precibus ad indignationem provocatus, ita repente quadam vice exarsit, ut eam flagellis bene cæsam ad maritum remiserit, asserens eum, qui toties ad puritatis fontem accederet, ab omni impudicitia alienum esse oportere. »

Hic est modus, auditores, pius et laudabilis in asino sedendi; quem si tenerimus, non dubitandum, asinum suo tempore una cum Domino intraturum triumphali pompa in Jerusalem cœlestem.

CONCIO VI.

CUM PALMA OBVIANDUM CHRISTO PATIENTI IN HAC SEPTIMANA SANCTA.

I. Anima nunc saginanda. — II. Corpus affligendum. — III. Bonis operibus vacandum. — IV. Recta intentio adhibenda. — V. Opera penitentialia augenda. — VI. Christo commoriendum.

THEMA.

Alii cædebant ramos de arboribus et sternebant in via. Matth. XXI.

Dominica hodierna palmarum dominica dicitur, quia videlicet, ut S. Joannes scribit, Hebræi Christo Jerosolymam ingredienti cum palmarum ramis obviarunt. Porro palma a Græcis *phœnix* appellatur, quod longævitate et speciositate, aliisque proprietatibus singularis sit et cæteras arbores vincat. Similiter sacra hæc hebdomada, quæ a die palmarum incipit, omnium sacratissima est et quasi phœnix hebdomadarum. Hanc igitur singulari devotione celebrare decet: quemadmodum et palma singulares aliquot proprietates et mirandas habet, ut videbimus.

I. Palma arbor est infra ad stipitem gracilis, supra vero crassa, contra naturam aliarum arborum. Inferior pars, seu caudex corticis scabritie minime jucunda est: superior vero pars ramorum amplitudine et viriditate amœna. Homo arbori similis est sed alius a palma. Inferior ejus pars, quæ est corpus, plerisque in amobus est, bene curatur, fovetur, saginatur, in deliciis enutritur: superior, quæ est anima, tenuis

et macra est, negligitur, vilipenditur. Non decet hoc Christianum, qui similis esse palmæ debet, juxta id Ps. LXXI. *Justus ut palma florebit*. Non decet ancillam in domo foveri, et dominam ejici aut negligi. *Ejice ancillam*, clamat Sara ad Abraham, ne ipsa fugere cogatur. Ergo saltem hoc sacro tempore anima spiritualibus cibis incrasanda est, corpus vero nonnihil extenuandum. Neque enim ambo simul impinguari queunt. Quando ros Gedeoni missus cecidit in vellus, idque madore suo cœlesti perfudit, area circumjacens remansit sicca et arida. Si area rore perfusa fuit, siccum remansit vellus, Judic. VI. Impinguatur spiritus? Famere et pati debet corpus. Impinguatur corpus? Macrescet spiritus. Uti vero prius mensa apparanda: Domino an servo? *Para quod cenem*, ait, Dominus servo, post hæc tu manducabis, Luc. XVII.

II. Palma arbor scabra et quasi spinosa, velut squamis undique vestita est, unde et ascensu difficilis. Quam ob causam comparatur a ss. patribus cruci Christi (quæ sanæ Christo Domino perdifficilis ascensu fuit) juxta id Cant. VII. *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus*. Nos quoque hac hebdomada vitam amplecti asperam et spinosam decet, ut Christo patienti nos conformemus. Quod sane præstiterunt multæ principes personæ, S. Birgitta in memoriam diei Veneris s. singulis feriis sextis amaram herbam in ore gestabat, et terventis ceræ guttas manui superfundebat, Sur. in vita, tom. IV. S. Ludovicus Gallæ rex per quadragesimam non edebat pisces neque fructus, sed invitabat pauperes, interim cilicio affligebat, nec permisit ut filii Ludovicus et Philippus gestarent coronas de floribus in die Veneris, qua nimirum Christus coronatus fuit spinis, Bellarm. I. de offic. princ. christ. Joannes secundus rex Portugalie, decimus quartus in hebdomade s. visitabat loca sacra, et aliquot diebus ante v. sacramentum manebat solitarius. Ferdinandus filius Joannis I. regis Portug. tribus ultimis diebus diu noctuque mansit in templo, et solo interim pane et aqua exigua vivebat, ex annal. vas concell. Joanna principissa filia Alphonsi V. totam hebdomadam s. silentio transigebat, vixque unum verbum de rebus necessariis proferebat, ultimis tribus diebus nullum omnino: semper in templo manens vix gustabat cibum, neque dormiebat, tota in orationibus et lacrymis perseverans: die Jovis s. duodecim pauperibus et sordidis mulieribus lavabat pedes servili vestitu, tergebatur, osculabatur, denique cum vestibus et elemosyna eas dimittebat. S. Marghareta V. filia regis Hungarum triduo ante pascha sine cibo et potu per-

durabat, lectum non intrabat, acriter se flagellis usque ad sanguinem cædebat, Sur. XXVIII. Jan. Denique S. Gregorius, lib. III. dial. cap. XXXIII. scribit quod olim etiam pueri parvi in sabbato s. jejulare consueverint.

III. Palma fert fructus cum foliis pari æquilibrio, teste Pierio, l. L. hierogi. Sic quantum quisque per decursum anni malorum et inanum operum fecit, tantum nunc ferat honorum. Scimus Christum in hac septimana, altero die post ingressum suum triumphalem, regressum ex Bethania in Jerusalem, quæsivisse ficus in arbore, et cum non inveniret, maledixisse ficui, non nisi folia habenti, Matth. XXI. Designabat ea ficus populum Hebræum, et cives Jerosolymitanos, qui legem quidem jactabant, sed interim non servabant: cæremoniis suis intenti erant, bona et solida pietatis opera non quærebant; quales etiam multi Christiani, qui sufficere sibi rati, quod Christiani sint, toto anno aliud non agunt nisi studere rebus politicis, cœconomicis, vel judicialibus: quomodo ædificent, plantent, causas defendant, familiam alant, liberos promoveant, etc. Folia sunt ista, ubi fructus? Hoc ergo saltem tempore compensetur pondus terrenarum occupationum pondere cœlestium et piarum operationum.

IV. Palma staturam habet rectam. In bonis etiam operibus diligenter videndum, ut intentio sit bona et ad Deum erecta. S. Augustinus, tract. XXVIII. in Joan. ait: « Quando boni aliquid agis, te laudas: quando mali aliquid patris, Deum accusas. Hoc est cor tuum et non rectum. Converso corde et directo laudabis Deum in bonis tuis; accusabis te in malis tuis. Isti sunt recto corde. » Decet ergo Christianum bona sua, seu quæ habet, seu quæ fecit, Deo adscribere, sibi vero mala. Debet totum stipitem, totam suam vitam dirigere ad cœlum, h. e. ad Dei gloriam et salutem suam æternam. Verum in palma non solus stipes rectus et cœlum versus erectus est, sed etiam ejus folia oblonga seu rami. Hinc enim putat Ruper. Cant. V. et S. Isidor. in ethym. appellari eos *elatas palmarum*, quod ad cœlum instar pyramidis assurgant. Quare simili ratione Christiano ad laborandum videtur, ut non modo totum vitæ suæ decursum, sed etiam singulas suas actiones bonas, imo et indifferentes Deo ad honorem ejus offerat, juxta monitum apostoli, I. Cor. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Certe Tertullianus, in l. de corona militis, et S. Hieronymus ad Eustochium asserunt, moris olim fuisse apud Christianos, ut initio operis cujusque se signarent signo crucis,

quasi dicerent: Hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Idem majores nostri Germani faciebant, et faciunt adhuc multi, quando ad initium operis cujusque dicunt: Deus secundet.

V. Palma ponderi non cedit, sed contra id insurgit: quod mirandum refert Aristoteles, VII. problem. et Plut. VII. sympos. Tales se nunc exhibere pœnitentes deberent, si saperent: deberent pœnitentias, inquam, seu satisfactionis opera sibi a confessariis pro peccatis imposita augere et conduplicare. Timent confessarii, ne, si pro meritis condignam satisfactionem pœnitentibus injungant, ipsi frangantur, et spreta vel ommissa satisfactione graviter Deum offendant.

Quamobrem leves ordinario, imo sæpe levissimas præscribunt. Verum, tu Christiane, palmæ

instar, non modo non cede, aut perturbare ob præscripta tibi opera, sed contra audentior ito, et contra onus rursus nitere, itaque graviora tibi imponi postula, vel ipse tibi imponito.

VI. Unica in chora palma esse dicitur, quæ cum phœnice ave et moritur, et renascitur ex seipsa, unde palmam appellatam phœnicem Græci existinant apud Plinium, lib. XIII. cap. XIV. Phœnix noster unicus Salvator Christus est. Ipsi morienti videbantur omnia commori, cœlum, terra, aer, saxa, templum, discipuli ejus. Cum eodem resurgente omnia resurrexerunt et recreata sunt. Eamus ergo et nos his sacris diebus et moriamur cum Christo, ut cum eodem in paschate resurgamus. Moriamur, inquam, carni et concupiscentiis ejus, moriamur vitiis et peccatis, ut vivamus Deo.